

enim talia volens loqueretur, si quoties tristitiam metumve nominamus, toties moerere vel timere cogeremur? Et tamen non ea loqueremur, nisi in memoria nostra non tantum sonos nominum secundum imagines impressas a sensibus corporis, sed etiam rerum ipsarum notiones inveniremus, quas nulla janua carnis accepimus, sed eas ipse animus per experientiam passionum suarum sentiens memoriae commendavit, aut ipsa sibi haec etiam non commendata retinuit.

CAPUT XV. IN MEMORIA SUNT ETIAM IMAGINES RERUM QUAE
ABSUNT.

Sed utrum per imagines, an non, quis facile dixerit? Nomino quippe lapidem, nomino solem, cum res ipsae non adsunt sensibus meis; in memoria sane mea praesto sunt imagines earum. Nomino dolorem corporis, nec mihi adest, dum nihil dolet; nisi tamen adesset imago ejus in memoria mea, nescirem, quid dicerem, nec eum in disputando a voluptate discernere. Nomino salutem corporis, cum salvus sum corpore: adest mihi quidem res ipsa, verum tamen nisi et imago ejus inesset in memoria mea, nullo modo recordarer, quid hujus nominis significaret sonus; nec aegrotantes agnoscerent salute nominata, quid esset dictum, nisi eadem imago vi memoriae teneretur, quamvis ipsa res abesset a corpore. Nomino numeros, quibus numeramus, et adsunt in memoria mea non imagines eorum, sed ipsi. Nomino imaginem solis, et haec adest in memoria mea; neque enim imaginem imaginis ejus, sed ipsam recolo; ipsa mihi reminiscenti praesto est. Nomino memoriam, et agnosco quod nomino. Et ubi agnosco nisi in ipsa memoria? Num et ipsa per imaginem suam sibi adest, ac non per se ipsam?

CAPUT XVI. MEMORIAE PRIVATIO EST OBLIVIO, QUAE ET IPSA
MEMORIA TENETUR.

Quid cum oblivionem nomino, atque itidem agnosco